De his que in utero habent iudicii tempore.

Ve illis que in utero habent et ubera dant in illis diebus. Ergo conceptio criminosa est, atque ubi primitia nuptiarum sunt? Et quomodo Saram dominus benedixit et peperit? Quomodo Anna orauit et genuit? Quomodo Rachel filios benedicta suscepit? Numquid errauerunt prophete? Quo dominus errare non potuit, sed in prophetis est dominus locutus, ideo nec illi errare potuerunt. Quomodo ergo quadrare poterit discordia litterarum? Sed quia ibi bellum est, cum tamen ad spiritum pacis. Pax enim dixit: Mulier enim cum parturit tristiciam habet, quia uenit hora eius; cum autem pepererit, iam non meminit tristicie. Et subiecit: Et uos modo quidem tristiciam habetis; iterum autem uidebo uos et gaudebit cor uestrum; ut ostenderet perfectorum esse letari, uitare infirmorum, quasi adhuc incerta metuentium. Sed et hic in superioribus dixit: Edebant et bibebant, nubebant et uxores ducebant; alligantes scilicet se in hanc uitam et sollicitudinibus secularibus uincientes. Hee sunt utique pregnantes quibus ue dicitur, que a ruina sue carnis extendant, et quibus interiorum gressus pigrescant animorum, effete uirtutum, feteque uitiorum. Sed nec ille pregnantes a condemnationis exortes sunt, que in bonorum actuum molimine constitute nec dum aliquos suscepti operis dedere processus. Sunt enim et que de dei timore conceperunt, que dicunt: De timore tuo concepimus et parturiuimus. Sed non omnes pariunt, non omnes perfecti, non omnes possunt dicere: Peperimus spiritum salutis in terra; non omnes Marie que de spiritu sancto Christum concipiant, uerbum pariant. Sunt enim que abortiuum excludant uerbum antequam pariant; sunt que in utero Christum habeant, sed nondum formauerint, quibus dicitur: Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in uobis. Ergo que adhuc in utero sunt parturiunt quasi imperfecti; iam illi perfectiores quibus dicitur: Ego uos per euangelium genui. Multi patres per euangelium et multe matres que Christum pariunt. Quos mihi quis Christi monstret parentes? Ipse monstrauit dicens: Que mihi est mater aut qui fratres? Qui fecerit uoluntatem patris mei qui in celis est, ipse mihi et frater et soror et mater est. Fac uoluntatem patris ut Christi mater sis. Multe conceperunt Christum et non generauerunt. Ergo que parit iusticiam Christum parit; que parit

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. p.%20299 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0166/p.%20299)